Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 979

Quelle:
Copyright:

re. cum potius expediat flere magis quam aliquid dicere. Ueruntamen ne quid minus lucri arcę dominicę accedens (accedat et?) *dicatur nobis. ſerue nequam et piger. tu erogares pecuniam meam et ego ueniens cum uſuris exigerem. Peto caritatem ueſtram ut quę ipſe pater familias per nos uobis miniſtrauerit. libenter accipere dignemini. Apoſtoli Pauli uerba ſunt. Nox preceſſit dies autem appropinquauit* &c. Atque in hanc ſententiam deinceps commentatur Noſter, primos ſimul exponens *Symboli* Articulos, ubi multus eſt in mali Daemonis conatibus Genus humanum, quod ſub *Pupilli* ſchemate fiſtit, a Patre Deo abſtrahendi deſcribendis. Tempus habiti Sermonis iſta deſignant: *Exigit a nobis ratio huius congregationis et noctis tranſactę uobis reddere rationem. et iſtius diei de tanto ſacramento perceptam ueram ſempiternamque demonſtrare ſalutem.* Sacramentum hoc *Paſchale* fuiſſe, ex eo, quod ſequitur, putem: *Quid ſit hoc* (deponere opera tenebrarum) *ex uerbis ſymboli quod modo accepiſtis expoſitum eſſe cognoſcitur.* Abrumpitur, quod dolendum, Sermo in his verbis: *Harenam inquit maris et pluuię guttas et dies ſęculi — —.*

CCLXXII. VI. D. 4

214 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 70. f. per duas columnas exaratus, rubricisque diſtinctus, ſed uſu aliquantum adtritus continet I. *Iſidori Hiſpalenſis* Epiſcopi, Scriptoris Sec. VII. *Libros III. de ſummo Bono*, minio ſic inſcriptos: *Incipit yſidorus ſententiarum de ſummo.* Singulos Libros praecedit *Capitum* elenchus, qui tamen cum edit. *Veneta* per *Petrum Loslein* 1483. f. et cum *Pariſina Jac. du Breul* 1601. f. tantum in *Libro II.* concordat. Lectio porro frequentiſſime abit ab utraque editione. Ad finem c. 8. L. I. noſter adjicit ſequentia: *Fecit deus omnia bona valde. Nichil ergo natura malum, quin et ipſa que in creaturis uidentur eſſe penalia, ſi bene utantur et bona et proſpera ſunt, ſi male utantur noceant. Ita ergo perpendenda eſt creatura. ex noſtro uſu non bona, ex ſua natura ualde bona. Cap.* 19. (nobis 20) verſus finem notabilis dictorum trajectio. Poſt *C. ult.* de *Gloria Sanctorum*, alia quidem manus in margine notavit: *Hic eſt finis primi libri*, ſed in textu per 2. columnas ſequitur *Caput* minio inſcriptum *De penitentibus.* XXII. quod incipit: *Penitentibus exemplum iob preuius exhibet, quando poſt funera uel flagella adhuc in ſui redargucione et in cilicio et cinere lamenta plenitudinis* (penitudinis?) *ſumpſit dicens. Idcirco ago penitentiam in fauilla et cinere.* &c. et finit: *Pro qua re et ſi bona eſt ad extremum conuerſio, tamen melior eſt que longe ante finem agitur. ut ad uitam ſecurius tranſeatur.* Nihil de hoc *Cap.* in utraque editione. Atque haec ad commendandum *Codicem* futuro *Iſidori* Editori ſufficiant.

II.